

nium conditarum domina effecta est, inquit. De eadem D. Gregorius Nicomed. archiepisc. orat. de edit. B. V. in templo oblatæ: ait: « Nihil tuæ resistit potentia, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obedient imperio, omnia tuæ potestati serviunt. » In hujus rei figuram Assuerus, cum adamasset Esther, plusquam omnes mulieres, posuit diadema regni in capite ejus et fecit eam regnare in loco Vasthi, ut dicitur, Esth. II. Quid est autem diadema regni alteri imponere, quam imperium tradere et regem vel reginam constituere? Nec difficile hoc admittemus Deiparæ factum esse. Nam si ipsa diademata humanitatis suæ coronavit Filium, ut dicitur, Cant. III. et exponit S. Ambrosius, lib. de instit. Virgin. cap. XVI. cur non item Filius coronet Matrem diademata divinæ potestatis suæ? Ceterum uti Esther duas habebat famulas, una cui innitebatur, altera quæ defluenta in terram vestimenta sustentabat, ut habetur, Esth. XV. ita et Deipara. Nam S. Bonavent. in specul. Virg. « Duæ, inquit, famulæ, quarum domina est regina Maria, sunt angelica et humana creatura: humana est famula illa, quæ sequitur dominam suam in mundo, colligens vestimenta dominæ, hoc est, virtutes et exempla Mariæ; angelica vero est illa altera super quam in cœlo innititur se sociando ac deliciando cum angelis, innititur insuper tamquam potentissima angelis imperando. » Hæc Bonaventura.

Superest nunc ut Matri Dei, tamquam sorori nostræ congratulemur.

QUAMOBREM DEI GENITRIX MARIA AD CELSISSEUM COELI THRONUM POST FILIUM EVECTA SIT.

I. Ob merita bonorum operum. — II. Ob humilitatem. — III. Ob charitatem. — IV. Ob tribulationem. — V. Ob Christi imitationem. — VI. Ob propinquitatem.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. X.

In parabola de prodigo filio introducit Dominus Luc. XV. fratrem ejus indignantem et murmurantem, nec valentem introire paternas ædes, eo quod pater filium e longinquæ revertentem tanto honore exceperisset, quantus ipsi nunquam fuerat exhibitus. Audivit enim quomodo pater instituisse ei symphoniam, quomodo eum exceperisset obviens illi, quomodo induisset stola prima, quo-

modo instruxisset ei convivium, et dedisset anulum in manus ejus: ob quæ omnia indignabatur et fratri invidebat. Ostensurus hac parabola Dominus gloriam cœlestem justis preparatam, non voluit indicare, quod in cœlo ejusmodi murmur sit futurum, quod alter alteri beatorum magorem invideat gloriam: sed voluit ostendere tanta sanctos aliquos in cœlo gloria præmiandos ut si inter beatos murmur et invidia esse posset, quemadmodum inter viventes, plurimi ob id indignatur et murmuratur essent. Quam vero præ omnibus sanctis in cœlo fulgeat Maria Virgo, alibi vidimus, idque ex fundamento Scripturæ, ss. patribus et ratione: ostendimus enim et omnia illa (eminenter tamen modo) a Deo esse exhibita, qua exhibuit filio prodigo pater. Ostendimus institutam et symphoniam ss. angelorum, Christum ei ad cœlos gradienti obviam prodiisse; induisse eam stola prima, id est, gloria omnium principe; exceperisse eam convivio, hoc est, gloriam suam ei communicasse; denique donasse eam annulo, hoc est, potestate imperiali ad distribuendas gratias. Audivimus ergo sororem nostram Mariam exaltatam super angelos, sedentemque a dextris Filii, dominari in toto cœlo. Hoc tamen auditio nuntio, fortasse non deest etiam malevolus quispiam frater, qui ob tantam sororis nostræ gloriam indigetur et murmuraret, vel saltem curiosus inquiret quamobrem Maria tantum gloria apicem concendere meruerit. Certe here-tici instar lucifugorum splendorem gloriae ejus ægre intuentur et suis circumvolutionibus extingueant aut saltem obfuscare conantur. Sed frustra laborant miseri, et sibi ipsi tantum malum creant. Ringantur enim licet, non delebunt id quod scriptum est: *Adstilit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, etc.*

III. Reg. X. legimus Salomonem fecisse sibi thronum de ebore grandem auro fulvo nimis vestitum, ad quem sex gradibus ascendebatur. Quoniam igitur asserimus a dextris Filii consistere Mariam, necesse est ut ipsa prius ascenderit per sex gradus ad Filium, qui aliud non sunt, quam totidem examina.

I. Primus gradus seu examen est meritum bonorum operum, ut patet ex illo examine Judicis: *Esurivi et dedistis mihi manducare, etc.* Qui enim parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, ait apost. II. Cor. IX. et Ps. CXXVII. *Labores manuum tuarum manducabis.* Quis autem plus bonorum operum seminavit, quam Maria? Nam imprimis a juventute religiosissime fuit educata, et deinceps vivente Christo semper in ejus schola et conversatione vixit, et ad magnam ætatem pervenit;

quodque caput est, semper in Dei gratia, sine ullo peccato vixit, unde nullum omnino bonum opus inquam mortificavit. Hinc ipsa in articulo mortis optime canere potuit id sponse, Cant. VII. *Man-dragoræ*, id est, poma pulchra, odorifera et rara secundum Lyran. *dederunt odorem suum in portis nostris.* Omnia poma nova et vetera dilecte mi, servari tibi. Nos enim poma operum nostrorum sæpe putrefacimus per peccata: non illa. Unde si- cut veniente regina Saba ad Salomonem: *Non sunt allata ultra tam multa aromata,* id est, merita et virtutum odores, atque ipsa attulit, III. Reg. X. ita nemo unquam intulit tanta in cœlum merita ac Deipara: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universa,* Prov. XXXI. Secundo, omnia illius opera erant caritate intensissima informata, quia erat gratia plena; nec licet cogitare, quod ipsa hanc gratia plenitudinem in vacuum receperit, et veluti servus ille piger talentum suum absconderit. Ergo omnia sua opera gratia illius plenitudine informavit, et quodammodo inauravit, ita ut majus meritum haberent, quam reliquorum sanctorum opera. In cuius rei figuram, Salomon omnes templi parientes aureis laminis vestivit, ita ut intus templum universum fulgeret aureum: nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur, III. Reg. VI. Ad idem pertinet, quod sponsus dilecte dicit, Cant. IV. *Emissiones tux, id est, germina seu propagines fructuum, paradisus malorum punicorum.* Mala enim punica omnia coronata sunt, indicantque hoc loco singula Virginis opera singulas meruisse coronas.

Tertio, utramque vitam contemplativam et activam vixit accuratissime: patet autem vel ex ho-dier. evang. utramque hanc vitam simul junctam præstare singulis. Magdalena egit Deipara, quia omnia ejus verba conservavit in corde suo, et semper ad pedes illius sedit: Martham egit, quia totam ei vitam ad instar ancillæ sollicite ministravit. Audi Bernard. serm. LI. art. III. c. III. « Sicut nulla unquam fuit similis contemplatrix, sic nunquam fuit Virgini similis ministratrix. Alii induunt pauperes de lana ovis, ipsa induit Filium Dei de purissimis sanguinibus suis: alii induunt de panno, ipsa de corpore suo: alii passant pauperem pane extrinseco, ipsa pavit humanatum Deum de lacte proprio: alii suscipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa vero suscepit immensum Deum in corde et corpore suo: alii propter Deum ministrant infirmo, ipsa Deo in paupero corpore ministravit: alii solliciti sunt, ne aliquid deficiat inopinatus, Virgo sollicita ministratrix fuit et manibus suis laboravit, ut subveniret Deo homini indigenti: alii incarceratos et vulne-

ratos homines visitant et eis compatiuntur dum vivunt, et mortuos sepelunt, Virgo Christo pro nobis capto, ligno crucis affixo vulneribus, dilatato tanto dolore compassa est ut inexpressibile sit etiam angelicæ linguae. » Unde optime designatur per Esther, quæ duabus comitata famulis (quarum uni innitebatur, quæ contemplatrix est vita; altera defluentes vestes sustentans sequentur, quæ activa) ad conspectum Assueri prodidit, Esth. XV.

II. Secundus gradus et examen est humilitas. Hoc examen indicavit Dominus, cum Matth. XVIII. interrogatus, quis major esset in regno cœlorum, parvulum in medio discipulorum statuit et dixit: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Ad hanc mensuram quicunque proxime accesserunt, magni effecti sunt. Inter angelos Michael jure princeps est, et princeps Magnus a Daniele vocatur, quia Lucifer superbienti per humilitatem suam restituit. Quid enim sonat Michael, nisi quis ut Deus? Ecce humilitatem ejus. Inter patriarchas princeps Abraham, quia humilius: *Loquar ad Dominum, dicebat, cum sim cinis et pulvis.* Inter reges princeps David, quia et humilius: *Et ludam et vilociam plusquam factus sum, et ero humili in oculis meis,* dicebat cum ante arcam ludens et exiliens rideretur ab uxore, I. Reg. VI. Inter prophetas princeps Joannes Baptista, quia est humilius: *Non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus,* dicebat. Inter apostolos princeps Petrus et Paulus, quorum ille dicebat: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum:* hic vero: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vecari apostolus,* I. Cor. XV. Vident quam prope hi accesserint ad propositam sibi pueri humilitatem, et quantum ob id evecti sint. Sed hos omnes superavit Maria, quia cum esset ad supremam maternitatis Dei erecta dignitatem, et propterea gratia plenitudine omnes superaret, nihilominus ipso tante exaltationis momento, dum ab angelo tam honorifice salutatur, ad imam humilitatis abyssum se dimisit, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Quis enim dubitat, longe majorem fuisse humilitatem S. Eduardi regis Angliae, qui claudum pauperem humeris suis ad templum gestavit, quam si hoc idem nobilis quis aut plebeius fecisset? Nemo nescit aquas quanto altius descendunt, tanto altius rursum ascendere. Sic pila quanta fortius dejecta in terram, tanto altius salit. Maria tanto conatu se allisit terræ, cum positis humi genibus, ut vult Anselmus, dixit: *Ecce ancilla Domini.* Ob hanc causam Christus fuit omnium humilius, quia cum esset Filius Dei, humiliavit se usque ad crucem. Si enim persona dignitas non intenderet

et augeret humilitatem, sequeretur Petrum fuisse humiliorem Christo, quia non putavit se dignum, qui erectus penderet in cruce, uti magister suus: ergo, etc. Quando igitur Maria de supremo illo dignitatis fastigio, quod homini contingere potest, descendit ad tantam abyssum, a quo nemo alius sanctorum potuit descendere, sequitureiam tanto altiorem ei deberi ascensum. Unde S. Bern. tom. I. serm. LI. art. I. cap. III. ait: « Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantum descendit in humilitatem profundæ. » Erat igitur Maria granum sinapis, quod minimum erat omnibus seminibus, per electionem humiliatis; sed ideo tantum crevit ut majus factum sit omnibus oleribus, Matth. XIII. Misit enim radicem deorsum et fecit fructum rursum, IV. Reg. XIX. Sicut contra Lucifer, quia misit radicem sursum et Altissimi throni similitudinem ambivit, fecit fructum deorsum et in profundissimum barathrum est detrusus. Ad hæc si reliqui sancti humiles fuere, habuere non modicam se humiliandi causam, quia saltem aliquas habuerunt imperfectiones et venialia peccata. Nihil horum in Maria fuit ex communi pp. consensu: ergo major et gloriior ejus humilitas. Bona est humilitas cum peccatis, melior sine peccatis, optima cum virtutibus et fastigio honoris; sicut contra mala est elatio cum virtutibus, pejor sine virtutibus, pessima cum vitiis. Act. I. legimus Deiparam post alias mulieres ultimo loco ponit: Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria Mater Iesu. Quod miratur S. Bern. in serm. de verbis, Apoc. XII. Signum magnum. « Itane, inquit, et mulierem sese ultimam exhibeat, ut novissima omnium poneretur? Mox causam subdit: » Cum Maria quanto maior erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed et præ omnibus: merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam; merito denique super angelos exaltata est, et quæ infra viduos et penitentes, infra eam, de qua ejecta fuerant septem demonia, ineffabilmente mansuetudine inclinabat. »

III. Tertius gradus et examen est charitas erga Deum. Hoc examine cibravit Deus Petrum, antequam eum ad primatum et summum pontificatum eveharet, ter interrogando: Simon Joannis diligis me plus his? Quo respondente: Domine tu scis, quia amo te, sumnum Ecclesiæ gubernatorem eum fecit dicendo: Pasce oves meas, Joan. XXI. Probaverat nimis paulo ante Dominus amorem Petri præcellentiores, dum in littore stans et discipulos piscantes alloquens, vidit so-

lum Petrum, ubi agnitus ab eo fuit, in aquas se misse et natando ad se tamquam moræ impatiens venisse; cæteri enim naviio venerunt, ut habetur eodem capite. Quam vero Deipara Virgo excelluerit amore sanctos reliquos, vel ex eo patet, quod ipsa Deum non tantum amavit ut patrem quemadmodum reliqui sancti, sed etiam ut Filium, et modo aliquo ut sponsum. Aliæ matres dividunt amorem, alium habent erga parentes, alium erga liberos, alium erga Deum: sed Maria totum suum amorem impedit Filio, qui idem erat Filius et Deus.

Ad hæc si Christus dixit, Luc. XII. Ignem venire in terram: et quid volo nisi ut accendatur? quomodo non imprimis accedit et inflammavit Matrem, cum qua tamdiu versabatur? Si enim duorum illorum discipulorum euntium in Emmaus, cor ardere cœpit, dum Christus ad breve spatium loqueretur cum illis in via et aperiret illis Scripturam, Luc. ult. quomodo non multo magis ardens erat cor Matris, etc? Certe auctor antiquus (inter opera S. Hieron.) in serm. de assumpt. scribit: Puto quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitar valeat, quanto indestinenter cremabatur ardore pii amoris, etc.

Sed reipsa examinatus et probatus fuit illius amor triplici præsentim examine. Primo, cum Christus inscia ea remansit in templo: secundo, post ascensionem Domini, cum ad annos quindecim ad Ecclesiæ utilitatem hic reicta, Filii præsentia caruit: tertio, et gravissime in Filii crucifixione et morte, cum aliis fugientibus ipsa inter strepitum armorum et furorū Judæorum, rabiemque militum Filio constanter adhæsit. « Tanta virtute Christum dilexit, ait Guilelm. in cap. I. Cant. ut ad titulum sua laudis sufficiat, quod mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ne fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis adstans cruci, et condolens morienti animam suam pro Filio suo, etsi minime posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo. » Hæc ille. Imo etiam animam pro eo posuit, dum se Matrem Christi exhibere non timuit, seque Judæorum furori et vilæ periculo exposuit. Unde verissime ei competit quod Cant. IX. dicitur: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Aquæ multæ tribulationes multæ fuerunt, quas cum Filio et propter Filium passa est: sed flumina fuerunt tres illæ horæ juxta crucem, quæ tum charitatem ejus non modo non extinxerunt, sed potius accenderunt. Ibi Abramum vicit, magis heroicum, amoris in Deum actum exercendo, cum Filium

et augeret humilitatem, sequeretur Petrum fuisse humiliorem Christo, quia non putavit se dignum, qui erectus penderet in cruce, uti magister suus: ergo, etc. Quando igitur Maria de supremo illo dignitatis fastigio, quod homini contingere potest, descendit ad tantam abyssum, a quo nemo alius sanctorum potuit descendere, sequitureiam tanto altiorem ei deberi ascensum. Unde S. Bern. tom. I. serm. LI. art. I. cap. III. ait: « Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantum descendit in humilitatem profundæ. » Erat igitur Maria granum sinapis, quod minimum erat omnibus seminibus, per electionem humiliatis; sed ideo tantum crevit ut majus factum sit omnibus oleribus, Matth. XIII. Misit enim radicem deorsum et fecit fructum rursum, IV. Reg. XIX. Sicut contra Lucifer, quia misit radicem sursum et Altissimi throni similitudinem ambivit, fecit fructum deorsum et in profundissimum barathrum est detrusus. Ad hæc si reliqui sancti humiles fuere, habuere non modicam se humiliandi causam, quia saltem aliquas habuerunt imperfectiones et venialia peccata. Nihil horum in Maria fuit ex communi pp. consensu: ergo major et gloriior ejus humilitas. Bona est humilitas cum peccatis, melior sine peccatis, optima cum virtutibus et fastigio honoris; sicut contra mala est elatio cum virtutibus, pejor sine virtutibus, pessima cum vitiis. Act. I. legimus Deiparam post alias mulieres ultimo loco ponit: Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria Mater Iesu. Quod miratur S. Bern. in serm. de verbis, Apoc. XII. Signum magnum. « Itane, inquit, et mulierem sese ultimam exhibeat, ut novissima omnium poneretur? Mox causam subdit: » Cum Maria quanto maior erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed et præ omnibus: merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam; merito denique super angelos exaltata est, et quæ infra viduos et penitentes, infra eam, de qua ejecta fuerant septem demonia, ineffabilmente mansuetudine inclinabat. »

III. Tertius gradus et examen est charitas erga Deum. Hoc examine cibravit Deus Petrum, antequam eum ad primatum et summum pontificatum eveharet, ter interrogando: Simon Joannis diligis me plus his? Quo respondente: Domine tu scis, quia amo te, sumnum Ecclesiæ gubernatorem eum fecit dicendo: Pasce oves meas, Joan. XXI. Probaverat nimis paulo ante Dominus amorem Petri præcellentiores, dum in littore stans et discipulos piscantes alloquens, vidit so-

suum longe præstantiorem Isaaco Deo Patri fortiter et reipsa immolavit. Quare si Dominus apostolis dixit: Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus; idcirco ego dispono vobis regnum ut edatis et bibatis super mensam meam, etc. quanto magis debetur hoc ejus Matri?

IV. Quartus gradus seu examen est tribulatio et passio. Quod examen proposuit Dominus filius Zebedæi potentibus sedere ad dexteram et sinistram ejus, Matth. XX. cum dixerit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et apost. suis, II. Cor. III. Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Quo in examine inter cæteros optimè stetit Joseph patriarcha, qui quo pluribus tribulationibus vexatus fuit, tanto major postea dominus factus est. Similiter S. Paulus vas electionis factus est, sed antequam talis fieret, prius multoties in fornacem mitti et percolari, plurimis incudibus tundi debuit: cæteroshos et alios multis parasangis superavit in hoc proba Virgo; nam, ut taceam, quod tota vita non caruit doloribus et compassionē Filii, ipsa sola fuit socia passionum Christi, quæ omnia vulnera recepit, et sensit in corde suo, quæ Christus accepit in corpore, ut scribit S. Bonavent. in stimulo amoris, sola ipsa proprie bibit calicem Christi (apostoli enim alium mitiorem biberunt, uti et martyres omnes) ob intimam cum illo conjunctionem et amorem. Et si licuisset, maluisset pro eo pati, quam patientem cernere. Si enim de Filio immoriger Absalone dixit prudentissimus aliquo David: Fili mi Absalon, quis mihi hoc tribual, ut ego moriar pro te? quanto promptius hoc factura erat Maria pro filio omnium optimo! Unde S. Bern. in serm. super id: Signum magnum, etc. et auctor, s. de assumpt. asserit, eam plusquam martyrem esse, quia in anima passa est, juxta Simeonis prædictionem: Tuam ipsius animam pertransibil gladius, Luc. II. alii martyres in carne passi, in anima consolationem recipiebant. Anselmus, l. de excellent. B. V. c. I. ait, leve fuisse respectu passionis Mariæ, quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum. S. Bonav. in offic. de compass. Virg. ait: Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.

Ad hæc Deiparae passio quasi myrrha prima est, quæ ulro ex arbore deluit, quia mere voluntaria fuit. Unde in hodiern. offic. in persona ejus dicitur: Quasi myrra electa dedi suavitatem odoris. Passio sanctorum myrra incisa est et minus electa, quia carnificum incisionibus procurata.

V. Quintus examinis gradus, imitatio Christi, quod indicatur Luc. VI. dicente Domino: Perfectus autem omnis erit si sit sicut magister ejus. Quis

autem dubitet Mariam in schola Christi super omnes profecisse, ejusque imaginem in se accurate depinxisse, quæ et naturali complexione similis ei erat, et in ejus conversatione hac schola quadammodo semper versabatur, ejusque verba et acta omnia diligentissime observabat? Luc. VII. Si tantillo tempore Magdalena ad pedes Domini sedens adeo profecit, quid sentiemus de Matre perpetuo ei adhærente? Omnes nos Christiani connamur, vel saltē conari debemus depingere in nobis Christi effigiem, id est, mores et vitæ imitationem: id enim exemplar nobis propositum est a Deo Patre, cujus typus exemplar erat tabernaculi fabricandi, Moysi ostensum in monte Sina: Aspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, ait Deus Moysi. Sic et Christus discipulis: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci et vos faciatis: et ad Pharisæum, post parabolam Samaritani, id est, Christi: Vade, et fac similiter, ait. Tanto ergo majus præmium a Christo accipiet, et tamen vicinior ei erit in gloria, quanto exactius eius eum in se depinxerit. Jam vero an putatis Mariam præ omnibus exactissime depinxisse in se Filii imaginem? Quis enim alias ita perpetuo ipsum contemplabatur? Quis ita indivisibiliter ei adhærebat? Annon ille pictor cæteris paribus, qui perpetuo aliquem contemplatur, exactius eum delineabit, qua qui raro vel nunquam et per relationem tantum eum cognovit? Quis autem crebrius et exactius Christum intuebatur, quam ea, quæ dicebat: Ecce ancilla Domini.

VI. Quibus omnibus accedit ratio propinquitas; cum enim sit Mater Dei, quis ei jure invideat, si eam Filius etiam juxta se a dextris suis collocavit? Si enim apostol. ad Hebr. I. ex eo probat Christum esse majorem angelis, quod longe eminentius nomen præ angelis sortitus sit: Cui enim angelorum, inquit, dictum est: Filius meus es tu? licet similiter concludere, Mariam longe eminentiorem gloriam præ cæteris sanctis hæreditasse, quia nulli præterquam ipsi nomen Matris Dei collatum est. Deinde, si Deus ipse mandavit: Honora patrem et matrem, quomodo id non ipse quoque faciat? Et quod fecit Matri suæ Salomon, ponat Matri sua sedem a dextris suis? III. Reg. II. Auct. in Christo Domino suggerere possemus, quod Chaldei dixerunt Nabuchodonosori: Tu rex posuisti decretum, etc. Dan. III.

Absit igitur, ut quisquam nostrum indignetur, aut murmuraret, aut invidia tabescat ob supremam Mariæ gloriam, quam vidimus ei debitam non uno sed multis titulis. Gaudeamus potius, quia soror nostra Maria dominatur in toto celo. Ex

hinc enim sperare possumus, quod etiam nos ad cœlum evehere et possit, quia regina cœli; et velit, quia soror nostra. Congaudemus igitur et congratulamur tibi Regina, petimusque ut nos ad te, non dicimus, ad solii tui celsitudinem, sed solummodo ad pedes tuos, et scabellum pedum tuorum trahere digneris. Amen.

CONCIO VI.

QUAM MERITO B. VIRGO CORPORE ASSUMPTA SIT.

- I. Quia recepit Christum. — II. Christo fidelissima. — III. Ditata gloria. — IV. Immunis ab omni peccato. — V. Dei thronus. — VI. Regina privilegio gaudens. — VII. Mater Dei. — VIII. Ingressa in mundum cum privilegio. — IX. Mediatrix nostra.

THEMA.

Maria optima partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. X.

I. Reg. V. legimus Philistheos, postquam ceperissent arcum fœderis, intulisse eam in templum Dagon dei sui, veluti trophyum, quod ab Israelitis suis tulissent virtute et potentia dei sui. Sed male id cessit Dagoni: nam corruit ante arcum, capite et manibus a trunco revulsus, adeoque turpiter vultus est, qui de victoria gloriahatur. Unde coacti Philistheoi imposuerunt arcum plaustro, et adhibitis vaccis dimiserunt eam. Vaccæ autem recta pergebant ad terram Israel veneruntque in Bethsames. Hodie figura die impleta est hæc figura in B. V. Maria: cuius typum fuisse arcum testamenti docet S. Bernard. in sermon. de S. Maria, qui incipit *Ave Maria*. Capta est area illa a Philistheis (id est, cinere conspersis), cum eam per mortem naturalem, redigere in suam potestatem habitantes in regione umbræ mortis Philistheoi, seu mortui; unde et intulerunt eam veluti trophyum stum in templum Dagon, id est, in sepulcrum a morte absumendam. (Dagon enim pisces exponitur, unde et piscinio capite fingebatur; quid autem aliud mors nisi grande cete) sed non successit ei negotium. Tantum enim abest, ut eam piscis iste devorare et digerere potuerit: ut ei potius cedere et reverentiam exhibere, eamque sartam tectam et corpore gloriose vestitam dimittere debuerit in terram Israel (id est, visionis Dei) in Bethsames (id est, domum solis) angelicis manibus et choris deportandam. Ita rem habere docet, imprimis S. Joannes Damasc. orat. I. de dormit. virgin. auctor libri de assumpt. B. V. tom. IX. operum, D. August. Juvenalis. episcop. Jerosolymitanus, apud Niceph. l. II. c.

XXIII. Docet hodierna festivitas assumptionis ejus, quam Nicephor. qui ante 400. annos vixit, minime novam esse scribit. Docet denique res ipsa: quidem nullæ comparent aut comparuisse leguntur corporis ejus reliquie, cum tamen reliquorum sanctorum corpora adhuc extant, et successu temporum prodita sint. Corpora sanctorum principum apostolorum, aliorum multorum Romanorum visimus: S. Jacobi ubi sit novimus: ossa martyrum et confessorum undique aureis et argenteis thecis inclusa reperiuntur et colluntur singulari studio; corpus vero B. Mariæ ubi est? Ubi latet? Et vero latore vel putredine id solum permittat Deus, et cultu suo privet, qui aliorum ossa manifesta et celeberrima esse voluit? Absit ut hoc credamus. Translata est a fano in Bethsames arca ista, sublata est mulier in dominum Pharaonis: ubi sedet ad dexteram Filii: sequam merito autem id factum sit a Deo, dicimus.

I. Quia etiam ipsa sola recepit Christum in dominum suam, quæ causa est cur evangelium de Martha legit hodie Ecclesia: Maria est enim quæ singulari modo recepit eum, cum a cœlo ad nos descendenter. *Venit Filius hominis in propria, et sui eum non receperunt*, ait Joan. c. I. venit in Bethlehem: *Et non erat ei locus in diversorio*. Quod si postea etiam aliqui receperunt in domum, uti Martha, nulla tamen inveniebatur, quæ recipere eum in utero, quod fecit Maria: idque non tardanter, sed confessim tribus quodammodo verbis tantum interpositis: *Quonodo fit istud?* Decens igitur fuisse quis neget, ut et ipsa recipere per a Filio in domum ejus cœlestem, nec longa interposita mora, sed trium tantum dierum? Quod scribit Niceph. ubi sup. et lib. XV. cap. XIV. Ita Rahab solius domus illæsa et incomplum servata est ab Israelitis in Jericho, eo quod recepisset et servasset eorum nuntios, quibus insidiabatur rex Jericho, Jos. II. cur ergo non et Deiparæ corpus servetur illæsum a vermis et putredine, cum et ipsa receiverit legatum Dei altissimi in uterum suum, et deinde servaverit ab ira Herodis? Certe et ipsi gentilem rem hanc intellexerunt. Sic enim et Alexander Magnus captis Thebis hospites patris sui (apud quos puer adhuc obses vixerat) servavit, cum reliquos omnes trucidaret. Homines igitur hoc faciant: et non faciat Deus? Homines recipient et servent susceptores suos: Deus vero hospitem suam excludat, et in plateis imo in sepulcro hospitari sinat?

II. Quia ipsa sola perfecte semper fidelis Christo fuit, adeoque fidem semper virarent, integrum et immotum habuit; decuit proinde, ut et ipsa semper vires et integra servaretur ac cœlo

transcriberetur. Credidere quidem et discipuli et mulieres pie complures in Christum, etiam in triduo mortis ejus, sed non perinde fidem explicitam resurrectionis ejus habuere. Unde S. Anselmus, de compass. virg. dicit: Maria in fide Jesu constantissima et patientissima: nam discipulis fugientibus cunctisque viris recedentibus in gloriam totius feminæ sexus, inter tot pressuras Filii sui constanter ipsa sola stabat in fide Jesu. Qui igitur? Nonne vicem ei rependat Christus? Et quo aptiore modo, quam si eam, quæ resurrectionem ejus constanter credidit, resurrectionis similis gloria condecorat? Et quæ semper in fide viruit eique fidelis extitit, viridem semper et immarcescibilem conservet? De Agrippa rege scribit Baptista Fulgosus, quod cum is Romæ a Tiberio imperatore ob falsas suspiciones catenis ferreis arbori alligatus esset, sitqua aestuans a prætereunte quodam servo Cay Thaumaste haustrum frigidæ obtinuissest: postmodum liberatus et Judææ rex constitutus, in beneficio repensionem Thaumastam a servitate liberarit, et in regnum suum evocatum in suorum numerum reperit, perpetuoque retinendum a suis testamento caverit. Simili modo Deipara Christo ad crucem affixa, et sitiensi salutem animarum, adstitit: merito igitur hunc ei fidelitatem repedit Christus, liberando eam a servitute mortis, et postquam ipse rex cœli est constitutus, eam in regnum suum transferendo et æternum beatificando. Convenit hoc ipsum etiam sacris litteris. Nam I. Reg. XXX. cum persequeretur David Amalecitas latrunculos cum 400. viris, ducentos vero lassos relinqueraut ad sarcinas, percussis hostibus legem fecit, et judicavit æqualiter dividendam esse prædam viris, qui pugnauerant et qui remanserant ad sarcinas. Pugnavit in cruce Dominus contra principes tenebrarum: B. Virgo, ceteris a longestantibus, et in fide præsertim resurrectionis nutantibus, ad sarcinas remansit, et fidelis Christo fuit: cur non igitur ipsa æqualem cum Christo bellatore prædam sortiatur anticipatae resurrectionis?

III. Quia decebat ut dilatio gloriæ Deiparæ quadam animam, compensaretur ejusdem acceleratione quadam corporis. Videmus enim passim in sacris litteris dilationem donorum desideratorum Deum compensasse sanctis suis, eorumdem præstantia. Sic dilationem filiorum compensavit eorumdem excellentia et sanctitate: Sare dedit Isaac, Racheli Josephum, Anna Samuelem, Elisabethæ Joannem: sic tarditatem miraculi in nuptiis Canæ, ejusdem præstantia; dilationem apparitionis suæ in Thoma ita compensavit, ut qui postremus eum videret, mereretur etiam tan-

gere: sic desiderium Zacchæi, videndi Christum compensavit, manendo apud ipsum in domo. Jani vero Dei Mater, post Filii discessum relicta est in mundo per annos quindecim. Quis hic dubitate potest, ardentissimis cam semper desideriis cupuisse dissolvi, et esse cum Christo? Ut pote quæ ab Epiphanio, hæresi LXXXVIII. *Perpetua Christi affectatrix* nominatur? Quis dubitet eam turritur instar hic semper gemuisse, dimidium animæ sua quævisivit per omnia loca, in quibus sciebat Filium suum vel egisse aliquid vel passum esse? Hoc enim eam fecisse testatur Sophronius, in serm. de assumpt. Itaque nunc pergebat in Bethlehem, modo in Nazareth, nunc in Bethaniam aut Jerusalem, nunc ad montem Oliveti, modo ad Golgothæ locum, modo ad sepulcrum, ubi eam aliquoties habitasse credit Sophronius, ibid. Sed quia nullibi inveniebat, quem quærebatur, quis explicet ejus genitus et suspiria erga Filium? Nimirum uti agnus perdita oviacula unique discurreret et balat, donec oviculam suam videat; ita fecit Mater Christi. Et haec tam diutina et vehementia desideria per quindecim annos suspensa, non compenset Filius? Et qua ratione melius, quam si dilationem gloriæ in anima compensat acceleratione gloriæ in corpore? Evidem mihi persuadeo, B. Virginem, quæ tota semper anima, totoque simul corpore Deo servierat, si in anima solum beatificata fuisset, non minus desiderium habituram fuisset resumendi corpus, quam antea habuerit moriendo. Cum enim tota servire, et omni possibili modo Deo desideraret: non videbatur hoc desiderium Matri a Filio denegandum. Potuisset, meo iudicio, anima Deiparæ jam beatifica conqueri de suo corpore, quomodo in hodierno evang. Martha de sorore Magdalena: *Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Dic ergo illi ut me adjuvet. Dic ut Magdalena sedens ad pedes Domini, id est, corpus in sepulcro surget, et una mecum tibi ministret.

IV. Quia ab omni peccato immunis erat, incineratio autem et putrefactio corporis pœna est peccati: siquidem post peccatum suum primum audivit Adam: *Pulvis es, et in pulverem revertaris*, Gen. III. Merito igitur ab hac maledictione exempta fuit, quæ innocua fuit. Ita enim leges jubent eorum tantum domos dirui et subverti, qui proditiones regum fuissent. Nos omnes proditiones fuimus, qui legem Dei infregimus: non item B. Virgo; absit ergo ut ejus domicilium corporis, more nostrorum subvertatur, et in cineres redigatur. Exod. III. vocatus ad Deum Moyses audit ab eodem: *Non appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas,*

terra sancta est. In quem locum S. Ambros. I. VII. sup. Luc. c. I. dixit: Vocaturus enim populum ad Dei regnum, prius carnis exuvias deponere jubet. Corpus ergo nos cælum ingressuri exire, veluti calceamentum seu mortuam pelle, et in sepulcro relinquere debemus, tum quia mancipia sumus, (quorum erat sine calcis incedere, ut notat Cornel. a Lapid. in cap. III. Exod.) tum quia in illis pulvarem peccati et lutum contrahimus; nihil autem coinquinati intrabit in regnum cœlorum. Longe alia res est in B. Virgine; siquidem ipsa ne minimum quidem peccati pulvrem unquam contraxit in corpore vel anima, ac proinde nec mancipium fuit. Non erat igitur cur Maria corpus in sepulcro relinquere, quod nunquam contaminaverat.

V. Quia merito asservandum et loco honorissimum reponendum erat illud corpus, ex quo Deus carnem assumere et nasci voluit. Si enim tabulas legis, virgam Aaronis, et manna Deus asservari voluit in arca fœderis, tam honorifico loco, quia Deus in iis operatus erat: si denique arcum sibi fieri pro sua inhabitatione voluit ex lignis imputribilibus, eamque postea asservari usque ad judicij diem in monte, II. Macch. II. quanto meliori jure corpus Deiparae in cælum evehitur, in et ex quo Spiritus s. Christi corpus esformavit, et cuius typus tantum arca illa fuit, teste Bernardo, in sententia. Ut merito de ea Psal. CXXXI. dixerit Salomon: *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Annon majori honore dignum Deiparae corpus censemus, quam ejusdem terrestrem domum, quam inhabitavit? At illa in hodiernum usque sarta tecta conservatur, mihiq; visa est Laureti: quæ Horatio Tursell. relator, in hist. Lauret. angelorum manibus primo, e Nazareth in Dalmatiam, deinde per mare in Italiam mirabiliter translata est, et in hodiernum usque a toto orbe visitur et colitur. Quid igitur dicemus? Domum Mariæ lapideam conservari et col ab orbe: corpus vero ejus, quod inhabitavit Deus, jacere sub terra, in cinere, inter vermes, et nesciri? Plut. in apophth. refert Augustum Cæsarem cum Alexandriam Ægypti obsidione premeret, idcirco everttere noluisse, quod eam Alexander Magnus edificasset, nomineque et presentia sua condecorasset; quanto rectius ergo corpus Virginis incorruptum et mox gloriosum esse voluit Deus, quod inhabitavit et extruxit ipse. Horret enim animus cogitare Matrem Dei putredini dicere: *Mater mea es, et soror mea veribus: ita de Jerusalem dixit Deus, IV. Reg. XIX. Prolegam urbem hanc, et salvabo eam propter me: et paulo ante: Non ingrediatur urbem hanc (Sennacherib videlicet excidium ei minitans), nec mittet**

in eam sagittam, etc. Ita neque corruptio in B. Virginis corpus ingredi debebat.

VI. Quia cum Filium regem genererit, regina est effecta; reginas autem gaudere privilegiis regum asserit Ulpianus, in I. princeps, ff. de legibus. Unde rex et regina inequitantes in ipsum palatium equo vecti ingrediuntur, cæteri vero omnes præ foribus descendere ex equis debent, et pedibus ingredi regiam. Hoc nos decet facere antequam ingrediamur cælum, ut nimirum equos carnis nostræ præforibus in sepulcro relinquamus: illud Christo et Matri ejus competit. Hinc etiam sponsa ad sponsum, Cant. I. ait: *Lectulus noster floridus, ligna domorum nostrarum cedrina. Soli duo Christi et Mariæ lectuli floruerunt, quia corpora glorificata intra triduum ex sepulcris prodierunt: sola eorum corpora cedrina sunt et imputribilia. Unde doctor Guilelmus in eum locum Cant. ait: Cur dicit non tantum, domus tuæ: sed domorum nostrarum? Quia non tantum domui Jesu, sed domui Mariæ hoc privilegium commune fuit: eo quod Jesus os ex ossibus et caro ex carne Mariæ fuit. Ideo enim corpus Matris propter corpus Filii cum corpore Filii a generali lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conservatum fuit.* » Hæc Guilelm. Ad hæc reges et reginæ hoc privilegium habent, ut pro arbitratu secum ducere possint in regiam, quos volunt et quando volunt: non ita privati cives. Regio hæc corporum est propria, in qua proinde corpus primum advenit, anima post illud: contra cælum, regio animarum est, in quam animæ primum, corpora vero post judicium admittuntur in gratiam animarum. Quemadmodum igitur Christus, tamquam rex huic legi non subiecietur, sed corpus secum cælo invexit, utpote in regiam propriam, cuius ipse Dominus erat: ita jure etiam potuit facere Maria, tamquam regina.

VII. Quia Mater erat observantissimi Filii, qui cum moriens eam commendaverit, veluti depositum unicum dilectissimo discipulo, quomodo potuisset eam deserere jacentem in sepulcro? Habent hoc naturali instinctu ciconiae, ut serio confectos et implumes parentes, juniores succulent, et suarum beneficio pennarum sustentent, teste Plinio, lib. X. cap. XXIII. Unde Græcis proverbium: *Antipelargiam serva. Servavit eam et Christus, cum morte confectam, adeoque etiam implumem Matrem, utpote quæ viribus suis volare cum corpore ad cælum non poterat, ad cœlos pennis suis evexit. Quod si Assuerus rex cum præcepisset gentem Judæorum omnem deleri, reginam Esther ante se corruentem videns, festinus exiliit de solio, et sustentans eam ulnis*

suis donec rediret ad se, his verbis solabatur: *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noti metuere. Non morieris, non enim pro te sed pro omnibus haec lex constituta est.* I. Esth. XIII. Qua ratione negabimus Christum hoc fecisse Matri suæ corridenti quodammodo in morte? Quomodo non ipse quoque solo suo exiliens eam sublevasset? Ac licet incinerationis legem pro omnibus tulerit, matrem tamen ab ea merito exempti. Audi auctorem serm. de assumpt. Virg. tom. IX. oper. D. August. « Si elegit divina voluntas, (inquit) inter flammas non solum puerorum corpore servare illæsa, verum et ipsæ vestimenta servare inusta, cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Jonah servare in ventre ceti voluit incorruptum sola misericordia; Mariam incorruptam non servabit gratia? Servatus est Daniel ab intemperatissima fame leonum; non servanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum? » Hæc ille. Igitur quod fuerunt pueri in fornace, quod Jonas in ventre ceti, quod Daniel in lacu, hoc erat Maria in sepulcro, illæsa scilicet et mox erupta.

VIII. Quia decuit Deiparam talem egredi e mundo, qualis ingressa est, cum privilegio videbatur, juxta id Psal. CXX. *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.* Etenim Exod. XXI. præcipit Deus, ut servus cum quali veste intraverit ad herum suum, ei serviturus, cum tali exeat ab eo dimittendus. Ubi Sanctus Hieronymus id explicans, ait, præcipi, servum non lacerum, ac nudum, sed bene vestitum, sicuti ingressus est, dimittendum esse: jam vero nos omnes laceri aut nudi ingredimur in mundum, quia peccato originali deformati: quid mirum si etiam laceri et nudi dimittamus mundo, corpore relicto in sepulcro, juxta id Job, cap. I. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc?* Ac B. Virgo bene vestita venit et sine culpa originali; non decebat igitur, ut sine veste corporis glorijs dimitteretur. Sic arca illata est per Jordanem in terram Israel: et inde iterum ante captivitatem Babylonicam a Jeremia relata in montem, ubi vidit a longe Moyses terram promissam, ibique mirabiliter occultata, ut ejus locus inveniri amplius nequeat, ut ex II. Macch. II. patet. Non inveniuntur etiam sacrae Virginis reliquie: quis dubitat ergo tanto eas honoratori quam arcum loco, ac proinde in cælo servari, quanto honoratores erant arca?

IX. Quia nostra apud Deum mediatrix esse debebat, ac proinde corpore etiam in cælo esse, ut nostra in cælo negotia salutis efficaciter pertraret, ut ait Sanctus Bernardus, serm. de assumpt. Et (ut ait Arnoldus Carnot. in tract. de laud. Virg

tom. VI. bibl. patr.) « Sicut Christus Patri ostendit latus et vulnera, sic Maria ostendit Christo pectus et ubera. » Equidem: « Fidelis plane et potens mediator Dei et hominum Christus, (ait Sanctus Bernardus, in sermone de verb. Apocal.) sed divinam in eo homines reverentur majestatem. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et judicium, judicariam habet potestatem, Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere: ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei? Opus est mediatore apud mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austерum in ea, nihil terribile, tota suavis est. » Hæc Sanctus Bernardus. Indiguimus ergo apud Deum mediatore et oratore: nec melior esse poterat, quam Maria. Tum quia ipsa mediante jam olim Deo pacificati, confederati, imo sanguine juncti sumus; tum quia ipsa, præ omnibus Deo placet ob eximiam ejus gratiam sicut et Esther Assuero, de quo ait Mardochæus, Esther. cap. IV. *Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore paraveris?* id est, ut populo tuo afferres opem, ne deleatur? Tum quia Mater Dei ac per hoc potentissima ad intercedendum est. Sic enim Salomon dixit matri suæ quidpiam postulanti: *Pete, mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam,* III. Reg. II. quanto magis id faciat Christus Matri suæ? Quid ergo non sperare possumus a Maria, etc.

CONCIO VII.

PATROCINUM B. M. V. OMNIUM EXCELLENTISSIMUM.

- I. Potentissimum patrocinium. — II. Liberalissimum. — III. Universale. — IV. Cum patrocinio B. M. V. cooperandum.

THEMA.

Dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. X.

Conquerentem hodie audivimus Martham, quod soror Magdalena eam solam reliquerit in ministerio, et ad pedes Domini sederit. At nos jure potiori conqueri hodie possumus, quod magna illa soror nostra Maria, hodie nos reliquerit solos in terra ministrare, ipsaque in cælo ad pedes Domini sedere cœpit. Ita enim queritur Sanctus Bernardus, serm. I. super hoc festo: « Merito (inquit) resonat in excelsis gratiarum actio et vox laudis, sed plangendum nobis quam plaudendum, magis esse videtur. Quantum enim de ejus praesentia cælum exultat, numquid non consequens

est, ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Cesset tamen querela nostra, (inquit) quia nec nobis hic est manens civitas, sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit: et paulo infra: « Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam iudicis mater et mater misericordiae, simpliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit, etc. » Quæ cum ita sint, cum Martha contenti erimus, imo et gaudebimus, ob tantam sororis nostræ exaltationem. Tu saltem Christe rex noster dic illi, ut nos adjuvet suo patrocinio commorantes hic in terra: siquidem ejus patrocinio nullum arbitramur esse excellentius, ut nunc videbimus.

I. Est potentissimum. Primo, quia est patrocinium Matris Dei, quæ utique audiatur præ omnibus aliis. Scimus enim quod responderit Salomon matri suæ, III. Reg. II. *Pete, mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Narrat Valerius Maxim. I. V. c. V. Coriolanum maximi virum animi, et optime de republ. meritum, a Romanis inique condemnatum, ad Volscos Romanorum hostes profugisse, ibique brevi tempore summum imperium obtinuisse. Qui postea Romanorum fines et urbem obsidens, gravia eis intulit damna, ita ut Romani supplicare illi cogerentur. Missi ad eum legati nihil profecerunt: missi deinde sacerdotes cum infulis, æque sine effectu redierunt. Stupebat senatus, trepidabat populus. Tunc Veturia Coriolani mater Volumniam uxorem ejus et liberos secum trahens, castra Volscorum petit, quam ubi filius conspergit, propere ut amens matris complexum petiit, ac ubi ejus postulata audivit: *Expugnasti, inquit, et vicisti iram meam, patria. Precibus hujus admonitus, cuius utero conceptus sum, te, quamvis merito mihi invisan, dono, continuoq; agrum Romanum hostilibus armis liberavit.* Simili modo cum offensum habemus Deum, non possumus potentiores ad eum mittere oratorem, præter Matrem ejus. Si ergo nil proficiunt orationes nostræ, vel orationes et sacrificia sacerdotum, mittamus Deiparam: *Exaudi et utique Matrem Filius, et exaudi et Filium Pater,* inquit S. Bern. serm. de nativ. Virg. Rationem affert S. Anton. IV. p. tom. XV. c. XVII. §. IV. quod oratio Deipara sit nobilissimus modus orandi; quia habet rationem iussionis et imperii. Oratio sanctorum non innititur alicui rei ex parte sua; sed tantum misericordia ex parte Dei: oratio autem Virginis innititur gratia Dei jure naturali et justitia evangelii: *Nam Filius non tantum tenetur audire Matrem, sed obedire.* Sic ille.

Secundo, quia præ omnibus creaturis magis a Christo rege diligitur, utpote omnium sanctissi-

ma. Quo autem quisque est Deo charior et familiarior sanctiorque, eo potentior in impetrando, ut patet Jerem. XV. *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quia enim hi duo viri sanctissimi fuerunt, ideo etiam in orando potentissimi, vult ergo dicere: Si quis uspiam est, qui possit apud me aliquid impetrare, hi duo mei amici sunt.

Tertio, quia ipsa plura et gratissima exhibuit obsequia Christo Filio suo, unde non potest repulsam pati. Fundatur ergo Virginis patrocinium ex hac etiam parte, in equitate juris naturalis. Si enim Mater Filio per omnia servavit, et nullum obsequium obtrectavit, nonne decet ut Filius idipsum præstet Matri? Taceo quod Aristoteles sensit, non posse par rependere filios parentibus.

II. Liberalissimum et promptissimum. Primo, quia ipsa est mater nostra, eo ipso quod Mater Christi communis nostri parentis. Accedit quod sub cruce in persona Joannis nos omnes in suam curam et tutelam maternam a Christo commendatos accepit, cum audivit: *Mulier ecce filius tuus, Joan. XIX. Numquid vero obliuisci potest mulier infantem suum, ut non miscreatur filio uteri sui?* ait Isa. cap. XLIX. Certe in nuptiis Canæ maternum suum affectum tum satis ostendit erga indigentes, cum ultiro, non rogata, supplicavit Filio suo pro vino. Quid faciet nunc postquam ejus cruce singulariter commendati sumus? « Et si illorum corporali inopia condolebat et succurrebat, etiam non rogata, quanto magis nostraræ spirituali indigentia compatiet auxiliumque præbebit, si fuerit fideliter invocata? » inquit Diony- sius Carthus. super c. II. Joan.

Secundo, quia summa et potentissima cœli imperatrix. Quod si imperatorem ita decet clementia et liberalitas, ut Titus imp. dixerit, non decere ut quis ab imperatore tristis recedat, teste Eutropio, lib. III. quanto æquius hanc ad beneficium propensionem tribuimus ditissimæ illi et potentissimæ cœli imperatrici? Et certe qui a rege quidpiam obtainere nequit, reginæ supplicare incipit, ut ipsa regem emolliat: ita si peccatorum nostrorum demerita vetant nos accedere ad Regem cœli, non tamen prohibent adire reginam Matrem, quia ipsa non considerat dignitatem vel indignitatem nostram, sed misericordiam implorat. Exemplo est vir quidam nobilis (ut refert Steph. Binet, in tessera salutis) qui cum a rege capite damnatus esset, ejus matrem una cum filio in conclave secum duxit, et ab utroque impetravit, ut se ad regis pedes abicerent, hisque verbis cum alloquerentur: « Si matrem tuam, o rex clementissime, juxtaque filium tuum diligis,

duces auctoritate, dum in hæresi versabatur, eximio quodam pietatis studio erga B. V. tenebatur, unde ejus ope ex hæresi emersit, et postea gratiæ animi causa, ad ædem Lauretanam nullo viatico, nullo itineris subsidio, profectus est, ex Nic. Orland. in annalib. de hist. Coll. OEnip. Ausim. etiam cæteris hæreticis polliceri veræ fidei lumex si Mariam colerent: sed horrendo dæmonis asto qui hoc futurum noverat, eam nec colere, nec invocare volunt.

Secundo Judæis, scribit enim Nic. lib. XVII. c. XXV. puerum quemdam Judæum, cum aliis Christianis Constantinopolis se sociasse, et in temple reliquias ss. eucharistiae, pro more illius loci et temporis, a sacerdotibus exhibitas sumpsisse. Quod cum aliquando indicasset patri, qui vitrarius erat, ab eodem patre arreptus et in ardente vitri fornacem injectus est. Mater amissi filio undique circumire, et lamentis omnia implere, utpote rei ignara cœpit. Venit ergo tandem prope fornacem illam, et dum filium ejulatibus quæreret, respondentem sibi e fornace filium audit, ibique filium sanum et incolumem conspicaturz rogarat itaque unde hæc ei salus advenisset. Respondet puer, spectabilem quædam dominam purpureo vestitam pallio sœpius ad se venisse, et frigidam infudisse, neconu famescenti cibum at tulisse: quæ utique Virgo Deipara fuit. Re intellecta, Justinianus imperator matrem cum pueri baptizari curavit: patrem vero, quia resipiscer noluit, ad sicum suspendit. Aliud exemplum ex annalibus Lauretan. Rieræ de Hebreo autiamus. Narrant enim sexagenarium Hebreum ob patratum grave quoddam facinus, a Turcis comprehensum perpetuis addictum fuisse vinculis et tandem ærumnis confectum, corporis salute desperata, ad animam cunctam suam cogitationem convertisse, veniaque suorum peccatorum a Deo suppliciter postulata, Jesum Christianorum Messiam, et Matrem ejus Mariam religiosissime adorare cœpisse. Cumque noctu spei et fiduciae plenus cubasset, in quiete Christus ei apparuit; quem cum ex specie, qua a Christianis colli solet, agnivisset, verum Deum atque Messiam professus etiam supplex, in somnio adoravit. Sed quid? Statim ei Virgo beatissima, eximia pulchritudine et majestate prædicta præsto fuit, quæ Luciæ virginis ejus comiti jussit, ut Hebreum catenis, quibus vinetus tenebatur, eximeret, et reseratis carceris foribus ad portum dederet; admonens illam, ut oppidum Lauretanum in Piceno Italiae regione situm, statim peteret, ibique christiane sacramenta susciperet. At Hebreus evigilans Christi, et Mariae ejus Matris auxilio permotus et excitatus, navicula, quam clementissima Virgine hortante cons-

quare sicuti infantes maxima cum fiducia, in quibuscumque terricolamentis ad gremium matris se recipiunt: miseri ad imperatricem, aut quæcumque magnatis conjugem: pauperes ad suum advocationem; navigantes in periculis ad stellam maris: ita maxima cum confidentia returne ad Mariam possumus ac debemus.

III. Amplissimum et universale. « Cæteri sancti, (inquit) Miota, in contempl. virg. c. II.) jure quodam patrocinii pro sibi specialiter commissis plus possunt prædorse in curia. Altissimi, quam pro alienis. Beatissima vero Virgo Maria sicut est omnium regina, sic omnium patrona et advocata, et cura est illi de omnibus. » Cæteri sancti certorum locorum ubi vixerunt vel ubi requiescent, sunt patroni, et sœpe certis tantum mendicent afflictionibus: ast Mariæ patrocinium universale est; ipsa omnibus sinum aperit, et amplissimo suo pallio, quotquot ad eam se recipiunt, contegit omnisque generis imperititur beneficia, quia ut vidimus, est omnium mater, omnium imperatrix, omnium advocata. Nec enim fidelibus tantum ope sua adest, sed etiam infidelibus cum ab eis colitur. Primo, hæreticis. OEniponti sacerdos quidam magna apud hæreticorum